



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De Sacramento Poenitentiae, cap. 29.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

DE SACRAMENTO

*In expla-
natione Pa-
ter noster.*

olim doctorem, an verò furiosum nunc Apo-
statam & desertorem sequi velis. Si monita no-
stra contemnis, ipsum saltem audi in explana-
tione orationis dominicæ. Ecclesiam vult (in-
quit) audire Dominus, non te aut me, aut trās-
fugam quempiam segregatūque Phariseum.
Quapropter cū Ecclesia concinne (inquit)
& ritè benèque cātabis. Et si fortè absōna vo-
ce prostrepis, tamen quia multitudinis assonas
concentui, pro legitimo cantus tūus tenore
censebitur. At si canere solitaria voce tenta-
bis, non effugies sannas & cauillationes. Hæc
ibi. Non est ergo, quod eum nunc quoque in
sua visitatione aliter audias, quàm vbi cū Ec-
clesia canit & loquitur.

De Sacramento Pœnitentiæ.

C A P. XXIX.

In lib. Visti.

Q Vàm bene docuerit aliquot iā annis pœ-
nitentiā, ex ipsius sane confessione nunc
dignosci potest, arbor scilicet ex fructibus:
Nunquid colligit de spinis vuas, aut de tribu-
lis ficus? Ait nunc in Visitatione sua, Multi,
dum audierunt, vt solummodo credāt, omnia
ipsis remitti peccata. Fingunt sibi fidem, & pu-
tant se mundos esse, per quod fiunt temerarij
ac securi. Eiusmodi autem carnalis securitas
peior est (inquit) omni errore qui ante hoc
tempus vnquam fuit. Audis hæc, Illustr. Prin-
ceps? Quis est autē noui & falsi illius dogma-

tis, q̄ sola fides iustificet, autor primus, asser-
 torque pertinacissimus? nōne ipsemet Luthe-
 rus? Cur negavit gratiā sacramentorū? Cur oīa
 opera bona etiā optime facta dixit esse pecca-
 ta? Cur negavit merita sanctorum? Hæc certe
 sunt verba eius in Babylone sua. Nec alia via
 potest homo cum Deo aut cōuenire, aut age-
 re, q̄ per fidē, opera ille nihil curat, nec eis in-
 diget: Indiget autē, vt verax in suis promissis à
 nobis habeatur. Itē, Tā diues est homo Chri-
 stianus siue baptizatus, vt etiā volēs, nō possit
 perdere salutē suā, quantiscūque peccatis, nisi
 nolit credere. An verò talia dōgmata non red-
 dant homines carnaliter securos, vt opera pœ-
 nitētiæ negligant? Sed audi, Illustr. Princeps,
 adhuc sceleratiora eius Paradoxa, in scelera-
 tissimo illo cōtra sacrū Canonē libello. Deus
 nō vult (inquit) alia media, nec aliū mediatorē
 pati, q̄ vnicum filium suum, quē pater ob id
 solum & in mundum misit, & sanguinem fun-
 dere iussit, vt nobis fidei thesaurum impetra-
 ret. Hæc est breuiter summa Euangelij quod
 prædicamus. Qui ergo vllum alium quærit
 modum liberandi à peccatis & veniendi ad
 Deum, is iam mendacij Deum arguit, vitu-
 perauit, blasphemauit, tanquam qui filium
 suum frustra fecerit sanguinem suum fundere,
 ac nihil effecerit. Hoc enim simpliciter vult
 habere, hoc & non aliud, vt nemo ad ipsum
 veniat, nisi innocens sanguis solus. Et qui ali-
 quid aliud proposuerit, siue opera sua, siue or-

*In cap. Ba-
 bylo.
 cap. de Eu-
 charistia.
 Ibidē. c. de
 Baptismo.*

*De abomi-
 natione sa-
 crō Canonis.*

DE CONFESSIONE SECRETA.

dinem aut statum aliquem, is debet Diabolo addictus esse, plus quam alius. Hoc tam sæpe (inquit) prædicauimus & inculcauimus, ut quilibet bene scire queat, & ex hoc concludere sciat, quod omnia opera nostra, quæ ideo intenduntur, ad agendam pœnitentiam pro peccatis, atque ad effugiendam mortem, ea omnia blasphema sint, quæ blasphemant Deum, & vituperant sacrificium, quod Christus peregit, eiusque sanguinem, quãdoquidem per ea id efficere volunt, quod solus Christi sanguis efficiat necesse est. Hæc ibi. Et in hunc modum toto fere decennio prædicauit & scripsit: Nunc tandem sero vertit folium, requirens iam pœnitentiam, bona opera, & timorem irati Dei. Sed sero sapiunt Phryges, & tardi venere subulci. Nisi ergo reuocet apertius omnia, agatque & ipse pœnitentiam, nihil proficiet in populo decepto.

De Confessione secreta.

CAPVT XXX.

DEus bone, quot & quanta per decennium ludibria ex peccatorum confessione fecit. Nam mox à principio, in iis quoque libris, in quibus maximè Catholicus adhuc esse volebat, secretam illam Confessionem statim labefecit, relaxans populo nunc præceptum confitendi, nunc modum, nunc sacerdotem. O quoties obiecerunt mihi eius discipuli illud Iaco-

*De X. præcept. in fine.
In Resolutione conclusi-
onis. 26.*